

1988-10-23 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Fecisti Nos’

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

FECISTI NOS

**VENERABILI SERVO DEI NICOLAO STENOSIS
BEATORUM HONORES DECERNUNTUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – «Fecisti nos Domine ad te et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te» (S. Aug. *Confess.* I, 1, 1). Recte ad clarum id S. Augustini effatum descriptio itineris Servi Dei Nicolai Stensen («Stenonis») revocari potest, qui, pro certo habens singula etiam minoris momenti inventa totidem progressiones esse ad assequendam perfectam veritatem ad Deumque, cui omnia subiciuntur, agnoscendum, vitam proinde ut sedulus peregrinator egit, intentus ad veritatem nunc scientia nunc Fide pervestigandam. Hac tandem veritate in Ecclesia Catholica inventa, et submissus ei adhaesit et in vestigis Divini Magistri premendis se ita tractavit, ut exemplum hominibus fulgidum ediderit fidelitatis erga Evangelium et actuosae sollicitudinis pastoralis de Regno Dei amplificando deque salute animis afferenda. Venerabilis Mc Servus Dei, qui die I mensis Ianuarii ex Calendario Iuliano, XI videlicet die ex Calendario Gregoriano, natus est Havniae anno MDCXXXVIII, tempore Universitatis studiorum, cum in medicinam incumberet, suis investigationibus eminuit ac inventis ad anatomica pertinentibus. Postquam vero Florentiam is venit, ibi, in aula Medicea degens, ad scientiam terrestris naturae se contulit totem atque praecipuum geologiae paleontologiae crystallographiae constituendae operam dedit. Eiusmodi perscrutator, dum gloriam Dei in rerum natura absconditam gradatim inveniebat, suae ipsius vitae magnum expertus est momentum. Christiana Fides, quae a parvula usque aetate comitabatur eum, inopinata patefacta est ei nova cum vehementia, donec, Christiana animi humilitate modo exculta et ratione, anno MDCLXVII ad Catholicam Ecclesiam conversus est, neque umquam desit Fidem Christi vere alte sancteque profiteri, hominibus illius aetatis quidem stupentibus. Sacerdos octo post annis factus, sibi statuit servire Deo perfecte atque «pro angustiis suae debilitatis optimum ei offerre quam optime». Vicarius Apostolicus ab Innocentio PP. XI pro septemtrionalibus Europae Civitatibus electus, et ordinationem episcopalem suscepit et gravis ministerii pastoralis initium fecit Hannoverae in Germania Septemtrionali: deinde ab anno MDCLXXX in dioecesi Monasteriensi annos fere tres munere Episcopi Auxiliaris est functus. Affabilitas ac caritas ab eo in proximos adhibitae compluribus admirationi sane erant, quemadmodum vir «sancto similis» habebatur a populo Dei. Hamburgi duos annos commoratus, nunc apud aulam Ducis Megaloburgensis nixus est ad communitatem sui iuris condendam, tametsi in speciem defuit res, et humilis animorum Pastor pusillo Megaloburgensi sacro gregi prospexit. Post tamen quam est gravi morbo correptus, die XXV mensis Novembris ex Calendario Iuliano, seu die V mensis Decembris ex Calendario Gregoriano, Sverini pie ad Dominum anno MDCLXXXVI remigravit, ad extremum et funeribus pauperum propriis sibi exoptatis et futuro auxilio tribus gregalibus suis implorato. Corpus eius, quod Sverini in templo evangelico Lutherano ad tempus est tumulo illatum, serius Florentiam translatum est. Nicolaus Stensen, sacerdos ac Episcopus, non modo scientia eminuit, sed vel amplius eminuit magno etiam animo, quo supremum Pastorem est imitatus, ipsaque diligentia et alacritate, qua deserviit populo Dei. Hisce de causis is ante ac post mortem sive a Catholicis sive ab aliis fidelibus habebatur in numero Sanctorum. Eius tamen Causae canonizationis ob extraneas rationes initium fieri non potuit nisi hoc saeculo. Et Osnabrugae Processu Ordinario, qui ad quaestionem pertinebat, celebrato et Florentiae Processu Rogatoriali, rite suscepta est theologica recognitio virtutum Servi Dei, quae ad felicem exitum pervenit. Die XII mensis Ianuarii anno MCMLXXXIV Nobis astantibus Decretum «super virtutibus heroicis» editum est. At interea apud Curiam Florentinam celebratus est Processus Canonicus de coniecta sanatione divinitus patrata, eo ipso Servo Dei intercedente. Suetisque inspectionibes ad effectum deductis, in conspectu Nostro Decretum «super miro» proditum est die XII mensis Martii anno MCMLXXXVII. Deinde statuimus ut anno MCMLXXXVIII ritus Beatificationis die XXIII mensis Octobris celebraretur. Hodie igitur hic in Patriarchali Basilica Petriana hanc inter Sacra formulam elocuti sumus: «Nos, vota fratris Nostri Ludovici Averkamp, Episcopi Osnabrugensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopate, multorumque christifidelium explentes, de Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabilis Servus Dei Nicolaus Stensen, Beati nomine in posterum appelletur, eiusque festum die ipsius natali, idest quinta decembris, in locis et modis iure statutis, quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti». Sueta etiam oratione habita de vita ac virtutibus Beati, quem modo publice declaravimus, eum venerati sumus magnaque Ipsi cum religione primi invocabimus. Quae autem his statuimus Litteris rata esse et firma nunc et in reliquum tempus volumus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIII mensis Octobris, anno MCMLXXXVIII,
Pontificatus Nostri decimo primo.*

AUGUSTINUS card. CASAROLI *a publicis Ecclesiae negotiis*